DOMINICA ULTIMA MENSIS AUGUSTI.

IN FESTO

B. JOANNIS DE RIBERA,

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI, ET ARCHIEPISCOPI VALENTINI,

DUPLEX SECUNDÆ CLASIS.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, 1. loco præter ea, quæ sequuntur.

HYMNUS

AD UTRASQUE VESPERAS.

Hunc diem læti celebremus omnes,
Quippe jam coeli solio potitur
Rite qui nostram simul ac vocetur
Proteget Urbem.

Finis hic lætus, placidusque amoris
In Deum summi, lacrimasque coelo
Jam tibi tergit, fuerat qui in orbe
Pastor et Agnus.

Te Pius blandis animo jacentem
Erigit dictis, citiusque dicto
Ut decet pares, hilarique tota
Plauderis Urbe.

Te sacro dignum baculo decora
Civitas sensit, pecus omne tutum
In tuo sedit gremio, tuoque
Pectore gaudens.

Hæc canit sacro tibi magna templo,
Corda dum fervent, chorus hic fidelis,
Da piis, Præsul, solitas precamur
Vocibus aures.

Laus tibi coeli Pater, atque Princeps
Omnium Rector, simul et Creator,

Quem fides veri studio-
sa trinum
Credit et unum. Amen.

ORATIO.

DEus, qui BEATUM JOANNEM Confessorem, atque Pontificem pastorali sollicitudine, et divini Sacramenti Corporis, et Sanguinis tui dilectione admirabilem effecisti; quæsumus, ut, ejus intercessione, redemptionis tuæ fructus nos jugiter facias esse participes. Qui vivis, &c.

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

PUris amoris ignibus
Intus JOANNES æstuat
Dum corde mundo mysticam
Supplex adorat Hostiam.
In Numinis præsentia
Sacras ad aras pervigil
Fundit preces, et lacrymas
Coeli repletus gaudiis
Tum charitate fervida
Totum Deo se devovet,
Ut rite grex fidelium
Tantum colat mysterium.
Sit cultus ut perenniter
Insigne templum construit,
Quod consecratum corporis
Christi dicat sub nomine.
Simul probatis moribus
Suos alumnos instruit,
Procul repulsis impiis
Hostis maligni fraudibus.
Devota plebs ad pascua
Vitæ volens adducitur,
Iter salutis arripit
Sanctum secuta Præsulem.
Ergo tibi sit gloria
Inseparata Trinitas
Cum Patre, Verbum, Spiritus
Qui condidisti omnia.
Amen.

IN I. NOCTURNO

Lect. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

JOANNES DE RIBERA Hispali natus anno millesimo quingentesimo trigesimo secundo acceptum ex clarissima familia decus non solum retinuit, sed quàmplurimum etiam suis ipse virtutibus auxit. Ejus adhuc

pueri innocentia, et pudor, et gravitas quædam morum adeo explendescebat; ut, eo præsente omnes vererentur, ne quid indecore dicerent, aut facerent. Quum apud Patrem humanioribus fuisset litteris egregiè instructus, Salmanticam ad severiores disciplinas, ea in Academia doctissimis viris adfluente, addiscendas fuit missus. Ubi quum integritate vitæ, et pietate cunctis exemplo esset, videreturque, ut magister ejus dicebat, ad corrigendos, et componendos condiscipulorum suorum mores venisse, tum eos fecit in studiis progressus, omnium ut ora in se unum converteret. Itaque Theologiæ doctoris laurea rite ornatus, factusque ipse Presbyter, dignus est habitus, quem Pontifex Maximus, postulante Philippo II. Rege, vel ante legitimam triginta annorum ætatem Episcopum Pacensem crearet.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus, &c.

Lectio V.

QUo in munere tamen se præstitit, qualem Timotheum Episcopum etiam juvenem Apostolus Paulus instituit, ita ut, magna cum auctoritate, Episcoporum officia in Concilio Compostellano explicare potuerit. Qua profecto re permotus Sanctus Pius V. Pont. Max. eum, paucis post annis, in Cardinalium coetu publicè, et magnificentissimè laudatum, Patriarchæ Antiocheni dignitate auxit, nec multos post menses eumdem ad Valentiæ Archiepiscopatum invitum transtulit, Valentinis quidem, ob ejus adventum, lætitia, Pacensibus verò, ob discessionem, moerore summo adfectis. Gregem suum, quoad vixit, omni ratione pavit, verbo, scrip-

tis, Sacramentorum administratione, conciliis habitis: eum sæpè circumibat, ad necessitates ejus omnes præsto erat, immane pecuniæ pondus tum in iis sublevandis, tum in plerisque Templis, ac Coenobiis, vel colendis, vel instruendis, collocasse quotannis repertus est. Accessione potentiæ ei facta ex Pro regis munere, quod subeundum ipsi fuit in Valentiæ regno, Philippo tertio cogente, ea est usus ad vitia magis excindenda, Christianasque virtutes latius suo in populo disseminandas. Ejus consilio, diligentiæ, diuturnoque labori, et operæ tribuendum est, quod Mauriscorum pestis ex Valentiæ Regno fuerit depulsa, atque exhausta.

℟. Pósui adjutórum super poténtem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus, &c.

Lectio VI.

QUum virtutibus ipse omnibus floreret, tum præcipua, ac mirifica prorsus ejus extitit erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pietas, quo coram complures quotidie horas venerabundus transigebat in tanta occupatione vitæ: nec ullum intermisit diem, quin Sacrificium perageret, quo tempore vim lacrymarum singulari incensus charitate profundebat. Atque ut ad mysterium illud amoris divini justis laudibus prosequendum exsuscitare homines, indulgentiarum ei rei præmium quoddam á Pontifice Maximo proponi impetravit. In clarissimum Collegium, quod Corporis Christi voluit nominari, constituendum, inque ejus ædes, et Ecclesiam magnifice ædificandam, hereditatem, quæ, Patre mortuo, sibi obvenit, valdè opimam, contulit. Quibus in ædibus sedem sibi ipse delegit, ibique, Episcopatus labori-

bus quadraginta novem annos fortissime perlatis, tandem defunctus, die, quem prædixerat, postridie nonas Januarii anni millesimi sexcentesimi undecimi, omnibus munitus Ecclesiæ Sacramentis, Jesum ter clara voce adpellans, animam suavissime efflavit. Magna fuit in existimatione apud Principes, Reges, Antístites, ipsosque adeo Pontifices Maximos, S. Pium V., Clementem VIII., ac Paulum V., summaque necessitudine coniunctus cum omnibus fere, qui ea ætate sanctimonia excelluerunt, in quibus Sanctus Carolus Borromæus quam eum haberet carum, testimonio sunt eæ epistolæ quas ad illum dedit. Sepulcro illátus est in Ecclesia ipsa Collegii á se conditi, ejusque præstantibus virtutibus miraculisque, eo deprecatore, factis, denique probatis, PIUS SEXTUS Pont. Max. eum Beatum rite pronuntiavit XIV. Calendas Octobris anni millesimi septingentesimi nonagesimi sexti.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrina ejus replé-ta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse, &c. Gloria Patri. Ipse, &c.

AD LAUDES.

HYMNUS.

Gaudete cives: munera
Grato feramus pectore,
Nostroque dulces Præsuli
Hymnos canendos discite.
Ortas ab imo lacrymas
Est corde visus fundere,
Sic sæpe plorans devios,
Quos Agnus emit sanguine.
Agno Dei Pastor bonus
Mauros rogat, dent ut fidem:
Fidem recusant perfidi,
Minantur et necem truces.
Sed parce luctu Civitas
Præclara sanctorum parens,

Jure hos videbis exules
Hispano ab omni littore.
Sis ó! memor dulcis Parens
Nos esse eorum filios,
Salvere quos tu jusseras
Mortem subire proximus.
Ergo tibi sit gloria
Inseparata Trinitas
Cum Patre, Verbum, Spiritus
Qui condidistis omnia.
Amen.

IN III. NOCTURNO. *Lect. Homiliæ in Evangelium secundum Matthæum:* Homo péregré, &c. *Missa:* Statuit, *cum orationibus propr.*

VALENTINA.

SAnctissimus Dominus Noster Pius VII. Pont. Max. ad Preces Reverendissimi Archiepiscopi Valentini, necnon Capituli ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, ac P. Vincentii Castrillo, ex Generalis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Postulatoris Causæ Canonizationis B. Joannis de Ribera, Archiepiscopi Valentini: Inspectis his, quæ in supplice Libello enarrantur, me infrascripto Secretario referente, benignè *assignavit quotannis in posterum pro Civitate et Diœcesi Valentina ultimam Dominicam mensis Augusti Festo cum Officio et Missa in honorem dicti Beati Joannis de Ribera, loco Dominicæ* III. *post Epiphaniam assignatæ.*

Præterea elevavit ritum ejusdem Officii ad duplicem secundæ classis sine octava pro Clero Sæculari, et Regularibus utentibus Calendario Diœcesano Civitatis Valentinæ tantum. Die 13. *Decembris* 1800. = *Julius Maria Cardinal. de Somalia S. R. C. Præfectus.* = *D. Archiepiscop. Migres, S. R. C. Secretarius.*

SUprascriptos Hymnos pro Officio Beati Joannis de Ribera ad utrasque Vesperas, Matutinum, et Laudes, ab Emmo. Rmo. Dño. Cardinali de Somalia, Sanctissimi Domini nostri Pii VII. Pont. Max. in Urbe Vicario, Sacrorumque Rituum Congregationis Præfecto, cum R. P. D. Hieronymo Napulioni Fidei Promotore revisa, prout jacent, ipse Sanctissimus Dominus noster, Supplicante Reverendissimo Archiepiscopo Valentino cum Capitulo suæ Ecclesiæ Cathedralis, ab universo Clero Civitatis et Diœcesis Valentinæ quotannis in Officio ejusdem B. Joannis legi posse benigne concessit. Die 26. Novembris 1806. = Julius Maria Cardinalis de Somalia, S. R. C. Præf. = J. Caperneo S. R. C. Secr.

Es copia del original, que queda en este Archivo de la Santa Iglesia de Valencia, de lo que certifico: 6. de Febrero de 1808. = D. D. Francisco Ortells, Presbítero, Arcediano, Vice Secretario.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm